

4. Tridentinam Sanctionem beneficia jurispatronatus Simplicia non adficere censent Vivianus in Prax. Jurisp. P. II. Lib. VI. cap. 1. n. 20. et 27. et Gagliardus de Beneficiis Cap. XXII. n. 5.

5. Neque demum ad pensiones Ecclesiasticas Trid. Decretum spectare censuit Sacra Congregat. apud Gallemart *ibid.* n. 2.

XII. Meritò hic quæri potest, quænam proventus quantitas beneficium congruæ alimonie, sumtibusque sufficiens constituat? Porro Tridentini Patres id non sanxere. Quum enim pro varia hominum conditione varia, qui cuique satis sint, reddituum ratio restituenda sit, hinc boni cujusque viri arbitrio illam definiendam reliquere. Quare ex universali consuetudine jam recepta nemini bina Beneficia Simplicia habenti in foro movetur quæstio; licet eorundem singula congruo victui satis superque sint. Quinimmo hujusmodi consuetudine Tridentinæ sanctioni, in foro externo certè, derogatum videtur ea parte, qua vetat unum sufficiens Beneficium habenti alterum etiam Simplex conferri.

XIII. Cavendum tamen hac in re, ne quis nimium suæ voluptati indulgeat potius, quam indigentie consulat: tum bonorum Ecclesiasticorum indolem, de qua supra, ac mala, quæ beneficiorum pluralitas parit, serio perpendat. Verùm de hoc Cap. opportunius *Tit. ult. hujus Libri.*

CAPUT VIGESSIMUM.

DE UNIONE BENEFICIORUM.

I. Beneficiorum unio, quam recte defines, *Plurium Ecclesiarum, vel Beneficiorum a legitimo Superiore justa ex causa facta conjunctio*, multifariam dividitur. Ac 1. in Temporaneam, seu Personalem, et Perpetuam, seu Realem. Priorem, qua veluti pallio ad pluralitatem beneficiorum tegendam abutebantur, rejecit prorsus (**) quoad Curata, et Incompatibilia: (*) Synod. Trid. *Sess. VII. Reform. cap. 4.* (**) eaque tanquam mera fraus legis habita est à Viris novem jussu Pauli III. congregatis an. 1538. (*) Altera, ubi publica illam postulet utilitas, vel necessitas, sola legibus Ecclesiasticis probatur.

II. Perpetua autem isthæc unio, vel 1. Socialis est, et æque principalis, vel 2. Servilis, et accessoria, quæque subjectiva etiam dicitur, vel demum 3. hujusmodi, ut Beneficium, quod alteri adnectitur, omnino supprimatur. Priori modo fit unio, quum aut duo beneficia ita conjungantur, ut separata, ac distincta, et quod ad jura, et quod ad cetera omnino remaneant, æque ac antea erant, et tantummodo uni administranda Beneficiario tradantur: cujusmodi unionis ratio in Ecclesiis Cathedralibus plerumque locum habet: aut duæ Ecclesie, vel dignitates non modo in uno coalescant Beneficiario, sed unius etiam Ecclesie Canonici, Clericique inferiores, alterius etiam Ecclesie Canonici, Clericique evadant: et tum sane non modo sua quæque jura, et privilegia retinebit, verum et altera alterius optima quæque privilegia nanciscetur: Fagnan. *ad Cap. Novit Ne Sede vacante &c.*

III. Altero modo fit unio, quum una Ecclesia, Dignitas, vel Beneficium ita alteri conjungatur, ut eidem subiciatur, atque adeo missa propria dignitate, et nomine in alterius naturam transeat, et illius dignitatem, jura, et privilegia, tanquam accessoria, et filialis participet: *Cap. 3. de Statu Monachorum, Can. XLVIII. Caus. 16. Quæst. I.*

IV. Tertia demum Beneficia adnectendi ratio, uti observat Espenius *P. II. Tit. XXIX. cap. 1. n. 9.* potius Beneficii extinctio, et suppressio dicenda est,

quam unio; quum Beneficium, quod adnectitur, omnino supprimatur. Exemplo sit, quum Canonatus in Dignitatem erigatur: ubi quidem titulus Canonialis per suppressionem omnino extinguatur.

V. Beneficiorum unionem nonnisi legitima ex causa fieri fas est: nimirum quum vel evidens necessitas, vel publica utilitas illam exigat. Præcipua necessitatis causa est Ecclesiarum paupertas: scilicet, ubi conjunctæ congruos Pastori tribuant redditus, quos disjunctæ suppeditare nequibant: Conc. Tolet. XVI. *Can. V. Gregorius M. Lib. II. ep. 35. ad Episcop. Veliternum.* Conc. Trident. *Sess. XXI Reform. cap. 5.* Episcopis dat facultatem Beneficia Curata quæcunque propter eorum paupertatem adnectendi, licet generaliter, vel specialiter reservata, aut quomodocunque adfecta sint.

VI. Utilitatis causæ sunt 1. quum imminuto fidelium numero locorum vicinitas unionem publico bono postulare videatur. S. Gregorius M. *indicata Epistola 35.* Cumanam, et Misenatem Ecclesias in unam conjungens, ubique Benenato regendas tradens, hanc adfert rationem: *quoniam nec longo itineris spatio a se sejunctæ sunt, nec (peccatis facientibus) tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim, habere debeant Sacerdotes.* Porro secutis temporibus adeo in illa regione populus decrevit, ut ipsa etiam Ecclesia Cumana, Misenati prorsus extincta, superstes jam sola, sæculo XIII. ineunte Ecclesie Neapolitanæ, cujus erat suffraganea, adnexa sit, Parochia ibi erecta, et sacris Sanctorum Maximi Lev. Cumani, Julianæ, et Pueruli trimestris, quæ in Cathedrali Cumana Ecclesia adservabantur, Neapolim translatis: Chiocc. *Cat. de Episcopis Neap. in Anselmo an. 1292. et ibid. de Episc. Eccles. Cumana Neapolitanæ unita.*

VII. Altera utilitatis causa est, quum commodius, et utilius per unum, quam per plures pastores pluribus Ecclesiis servitium, et obsequium præstetur: *Clement. I. §. 6. de Statu Monachorum.* His, aliisque gravioribus deficientibus causis Ecclesiarum unio à Sacris Canonibus omnino vetita est, quam scilicet, uti loquitur Gelasius P. *Epist. ad Episcopos Lucaniæ Can. XXIII. Caus. 1. Q. VII. nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas.* Unde Beneficiorum unio ex communi Canonistarum sententia, tanquam odiosa, ut ajunt, strictam requirit interpretationem: ut colligitur ex Syn. Trident. *Sess. VII. Ref. cap. 6.*

VIII. Quamobrem in Beneficiis adnectendis hi potissimum servandi Canones. 1. Gravior requiritur pro Beneficiis curatis conjungendis causa, quam pro Simplicibus. Hinc Synodus Trident. quum Episcopis dat facultatem Seminariis pro congrua eorundem dotatione, tum et Cathedralibus, Collegiatisque insignibus, ad decentem Canoniorum statum aliquot Beneficia adnectendi, nonnisi Simplicium meminit: *Sess. XXIII. Ref. cap. 18. et Sess. XXIV. Ref. capit. 13.* Hic quoque obiter observandum ad Seminarii alicujus erectionem aliquando taxationem imponi in omnibus Ecclesiasticis Diocesanos redditibus, et Beneficiis quæ liberæ sint Episcopi, Sedisve Apostolicæ collationis; idque Regni mores patiuntur. At eandem taxationem laicalibus Locis piis, Extauritis, et Confraternitatibus, nonnisi Regis mandato, constituere jus est. Id præstitit Carolus Borbonius olim Rex noster Ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimus in Seminarii Isclani erectione: Gagliardus de Beneficiis *Cap. IV. num. 15.*

2. Cathedrales tenuioris redditus Ecclesias Synodus Provincialis haud vetatur conjungere: at re prius cum R. Pontifice communicata, ejusdemque accedente consensu: Trid. dicto *Cap. 13.* Semper enim Sedis Apostolicæ jus habitum est, tum novas erigere, tum veteres unire, vel sejungere Cathedralis Ecclesias. Hinc Benedictus XIV. Carolo Borbonio Utr. Siciliæ Rege postulante, Collegiatam

Terlium Ecclesiam in Cathedrali erexit, *Const. Unigenitus* 14. *Bullariè Tom. III.* Tum in Concilio Romano, an. 1725. Benedictus XIII. Judicibus querelarum ea in Synodo constitutis discutiendas mandavit petitiones Cleri, populi que Sangermanensis postulantiū erectionem, vel restitutionem Episcopatus in eadem Civitate. Porro ipse Pontifex ex Decreto eorundem Judicum die 18. Maii an. 1725. sanxit querelas contra Abbatem Casinensem, ejusque jurisdictionem quasi Episcopalem rejiciendas fore, perpetuumque silentium expetitæ Episcopatus erectioni, seu restitutioni imponendum: *Constit. Quod inscrutabilis prid. Non. Augusti* 1725. in Append. ipsius Concilii Rom. num. VIII. Verum II. Viri Argentius, et Crivellius ad ejusmodi Constitutionis executionem jura populi Sangermanensis audienda prius, et discutienda edixerunt: *Relatio Ms. super. Decretis Conc. Rom. num. 39.* Adhæc plures Regni Neap. Episcopatus jamdudum à Rom. Pontificibus conjuncti sunt: nimirum Abellinensis cum Frequentino, Acheruntinus cum Materano, Anglonensis cum Tursiano, Aquinatis cum Pontiscorvi, Atriensis cum Pennensi, Bisacianus cum S. Angeli Lombardorum, Campanus cum Satrianensi, et Cancianensi, Caputaquensis cum Agropolitano, Pestano, et Velino, Cariatenensis cum Gerentiano, Catacensis cum Tabernensi, Melphitanus cum Rapollensi, Vulturariensis cum Montiscorvini, Ortonensis cum Camplesensi, Scalensis cum Ravellensi, Squillacensis cum Stiliano. Et in novissimo Concordato an. 1741. inter Sedem Apost. et Utr. Siciliæ Regem inito, actum quoque est tum de conjungendis, tenuioribus, Regni Episcopatibus, tum de inferioribus Ecclesiis, Abbatibusque Nullius Cathedralibus vicinioribus, subjectiva unione adnectendis; at hoc negotium quippe quod longa, maturaque discussione indigeret, ad opportuniora tempora dilatum infectum adhuc manet. Demum Innocentius III. *Cap. 1. Ne Sede vacante aliquid innovetur.* Ecclesias Glastoniensem, et Bathoniensem primum à Cælestino V. conjunctas, ad Regis Angliæ petitionem iterum sejunxit.

3. Beneficia Curata Monasteriis, Abbatibus, Dignitatibus, Præbendis, Hospitalibus, aliisque Collegiis uniri *ibid.* Syn. Tridentina vetuit. Et sane haud raro per istam unionem Ecclesie Parochiales propriis destituuntur pastoribus, non sine gravi fidelis populi perniciæ: Espenius *P. II. Tit. XXIX. Cap. II. n. 12.*

4. Unio Canonatus cum Dignitate, aut Beneficio Curato facilius admittenda, si in eadem Ecclesia ejusmodi Beneficia constituta sint, quam si in diversis Ecclesiis: et quidem ex eadem ratione, scilicet, quod, serius ex illa, quam ex hac unione instet populo fideli detrimentum: Espenius *ibid. n. 17.*

5. Diversarum Diocesum Beneficia ne uniantur: Syn. Trid. *Sess. XIV. Ref. cap. 9.*

6. Neque Beneficium unius Regni, alterius Regni Beneficio adnectatur: *Rebuffus in Prax. Tit. de Unionibus n. 28.* et Fleuretius *de Abusu Lib. II. cap. 4. n. 28.*

7. Demum Beneficia libera Ecclesiis, Juripatronatus subjectis, conjungere interdicitum est, ne et ipsa sub Juripatronatus constituantur: Trident. *Sess. XXV. Ref. cap. 9.*

IX. In Beneficiorum perficiendis unionibus eos omnes, quorum interest, advocari oportet: Trident. *Sess. VII. Ref. cap. 6.* Hinc 1. Episcopus audiendus, ubi de conjungendis sue Dioceseos Beneficiis agatur.

2. Tum speciali *dica*, sive *citatione*, ut ajunt, advocandi, audiendique sunt, Abbates, Prælatique inferiores, ac Patroni æque Ecclesiastici, ac Laici, quum de Beneficiis agatur ab Episcopis exemptis, et ad eorum collationem spectantibus; quinimo eorundem consensus omnino exquirendus.

3. Audiendi etiam Rectores, præsertim Curati, alique Beneficiorum uniorum Possessores; at horum dissensus unionem post eorum obitum perficiendam irritam non reddet.

4. Exquirendus demum est consensus Capituli Cathedralis Ecclesie, sine cujus consilio graviora generatim negotia Episcopus vetatur perficere. Verum Capituli consensus sciet aliunde à Sede Apost. vel à Congregatione Concilii suppleri. Videsis Carolum Gagliardum de Beneficiis *Cap. IV. num. 34.*

X. Potestatem quod spectat, cujus auctoritate Beneficia conjungi possunt: 1. Ecclesias Cathedralis unire, uti modo adnotavimus, solius Apostolicæ Sedis jus est. 2. Sic quoque *Episcopi est Ecclesiarum suæ Dioceseos unio*; Cælestinus in *cap. 8. de Excessibus Prælatorum.* Abbates igitur, alique inferiores Prælati suæ collationis Beneficia unire nequeunt, nisi ab longæva præscriptione hoc jure fruuntur. 3. Uniones Beneficiorum perficere, Vicario generali sine speciali mandato interdicitum; haud verò Capitulo Episcopali Sede vacante; nisi quum jura Episcopalia lædantur, uti innuimus *sup. Lib. I. Tit. XXV.* quippe quod ea potestas ad jurisdictionem, quæ ad Crpitulum mortuo Episcopo transfertur, pertineat. 4. Beneficia reservata, et Sedi Apostolicæ adfecta vetatur Episcopus unire, peculiaribus quibusdam casibus exceptis; uti in conjungendis Ecclesiis curatis propter earum paupertatem, et in adnectendis Beneficiis Simplicibus, vel Seminariis, vel Cathedralibus, aliisque Collegiatis insignibus. 5. Beneficia exempta, et Sedi Apostolicæ immediate subjecta unire non licet Episcopis: *Capit. 8. de Excess. Prælat.* 6. Demum caveat Episcopus, ne Beneficia uniat mensæ Episcopali propter lucri suspicionem, qua omnino immunis sit oportet: *Clement. II. de Rebus Ecclesie non alienandis.*

XI. Postremo jus Neapolitanum quod spectat, juvat hic paucis animadvertere Regentem Villanum olim Regium Censorem duo Synodi Tridentinæ capita inter reliqua Regni Neapolitani instituta adversa, ad rem de qua agimus spectantia, recensuisse: nimirum *Cap. 6. Reformat. Sess. VII.* et *Cap. 9. Reformat. Sess. XXV.* Primum scilicet ea de causa, quod quum uniones Beneficiorum intra quadraginta annos factas ab Ordinariis denuo examinandas decernens, generatim dequatur, Beneficia etiam jurispatronatus laicorum videtur complecti, quibus tamen jura semel per unionem acquisita regia studeat Potestas. Alterum verò pro ea parte, qua decernit, ut dissentiantur, *accessiones per viam unionis factæ de beneficiis liberis ad Ecclesias jurispatronatus etiam laicorum subjectas.* Adeundus sæpe laudatus Vir Cl. Carolus Gagliardus *ibid. n. 26.* et in Institutionibus *Tit. VI. num. 31.*

(*) XII. In Hispania jam olim interdictæ fuerant Beneficiorum, et Præbendarum uniones, quæ fieri consueverant per suppressionem, vel extinctionem, vel propria Capitulum auctoritate; ut in Syn. Tolet. an. 1324. *Cap. III.* vel Sedi Apostolicæ dispensatione; ut in *Lege XXVIII. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* At quia Beneficiorum uniones necessariæ prorsus in omnibus pæne Hispaniarum Ecclesiis jam evaserint, Episcopi à Supr. Castellæ Senatu admoniti per Litteras encyclicas die 12. Junii an. 1769. iterumque an. 1777. in peragenda Beneficiorum unione incumbunt, iis ab eod. Supr. Senatu præscriptis Canonibus.

1. Quod Parochis præ aliis Clericis unia Beneficia adjudicentur, prout decrevit Syn. Trident. *Sess. XXI. Ref. cap. 5.* et jam pridem Vallis-olat. *Cap. XIX.* his verbis: *In Ecclesiis in quibus Beneficia indebite sunt dimissa, quum plurimis Clericis ipsarum Ecclesiarum non sufficient facultates, quando portiones hujusmodi vacare contigerit, uniantur, et assignentur Curato donec provisionem ha-*

beant competentem. Vel deficientibus Beneficiis quædam ex Decimis, aut Primitiis deducta portio designetur, uti eadem Syn. Trident. constituit *Sess. XXIV. Ref. cap. 13.* usque dum reditus Parocho adsignati statutam exsuperent, nedum exæquent, congruam, eo quod ille ob majus, quod in Ecclesiæ ministerio servitium impendit, et quo possit urgentibus Parochianorum necessitatibus subvenire, potiori dignus sit remuneratione. Ad rem Syn. Vallis-olet. laud. *Cap. Statuimus, ut in qualibet Ecclesia uni Cura ipsius Ecclesiæ principaliter per eum ad quem de jure pertinet committatur, cui per providentiam Prælati taliter provideatur, quod de redditibus Ecclesiæ possit honeste vivere, et onera Curæ, et alia incumbentia supportare.*

2. Ut quantum fieri possit, Beneficia, vel Capellaniam extra Ecclesias in quibus instituta sunt non educantur, nisi forsitan pro Seminarii Episcopalis dote, pauperumque Ecclesiarum fabrica, Hospitalium, aliorumque id genus piorum operum conservatione, ac nisi alia non suppetat via, qua congrua Parocho sustentatio adsignetur.

3. Quod Beneficia, et Capellaniam, quæ tertiam non habuerint congruæ partem juxta Bullam Innocentii XIII. *Apostolici Ministerii* supprimantur, ita ut Beneficiorum reditus Seminariorum, Ecclesiarum indigentium, Parochorum, puellarum orphanarum, Hospitalium, aut inferiorum scholarum doti deputentur; Capellaniarum verò fructus in Legata Pia referantur; quin ex eo illis, qui horum Beneficiorum, aut Capellaniarum reditus percipient, ab onerum illis adjectorum adimplerione dispensentur.

4. Ad unionem liberæ collationis Beneficiorum Capituli Ecclesiæ Cathedralis adsensus expectetur, nisi contraria fuerit consuetudo; in Patronatus verò particularis ipsorum Patronorum consensus etiam exquiratur; quo circa hi monendi erunt per litteras cum peremptorio duorum mensium termino, quo elapso, si consenserint, vel tacerint, nisi alioqui causas justæ præstiterint dissensus, ad perficiendam unionem procedatur.

5. Id tamen non omittendum voluit ipse Supr. Castellæ Senatus, quod Episcopus ita probandas curet unionis causas, ut ad eam peragendam sufficientes fuisse constet, ne ad iteratam Beneficiorum divisionem relinquatur locus.

6. Demum Episcopi majorem solita constituant congruam secundum communem rerum ad victum emendarum, quæ jam diu excrevit, in unoquoque loco æstimationem. (*)

XIII. Sicuti Beneficiorum adnexio odiosa, ita eorum sejunctio favorabilis in jure nostro reputatur. Quamobrem cessante legitima unionis Beneficiorum causa, nihil impedimenti est, cur non statim disjungantur, et quidem eorundem, à quibus unita fuerant, auctoritate, iisque, quorum interest, advocatis, et auditis hand secus, ac in unione servari oportet.

ARTICULUS I.

(**) DE DIVISIONE BENEFICIORUM. (*)

(**) XIV. Divisio tum fieri expedit, quum Beneficii oneribus nequit per unum satisfieri: *Cap. 3. de Eccles. edific.* et Trident. *Sess. XXI. Ref. cap. 4.* quam quidem ab Episcopis tunc peragendam voluit Supr. Castellæ Senatus in Litteris ubi supra, quum ob Parochianorum numerum, aut distantiam, unius Parochi operæ non sufficiant. Id jam juxta præfatas Canonicas sanctiones constituit Syn. Tolet. an. 1565. Act. II. *Ref. cap. 27.* Quoniam in plerisque locis causa com-

modioris agrorum cultura, Parochiani ita dispersi sunt, ut nec diebus festis ad Parochialem Ecclesiam accedere, nec eis Sacramenta ministrari facile queant, curent Episcopi, ut Ecclesiæ opportunis locis erigantur, ad hoc ut Parochiani sic dispersi commode valeant, et Divina officia audire, et Sacramenta percipere. . . . Atque eadem ratione competens portio illis Sacerdotibus, ac Ministris adsignetur Episcoporum arbitrio, qui eisdem Ecclesiis noviter erectis erunt præficiendi, servata in omnibus his Decreti Tridentini forma, et Alexandri III. Constitutione quæ incipit: Ad audientiam. Consonat Synod. Valent. *Sess. IV. Tit. III. cap. 14.* alias 17. Huic Parochiarum divisioni Synod. Tolet. XVI. *Can. V.* hanc constituit regulam, ut Ecclesia, quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat Sacerdotem, quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis. (*)

(**) XV. Altera divisionis causa indicatur in præfatis Supremi Senatus Litteris; scilicet, quum Ecclesiæ, Monasteria, aut Collegia, quibus unita sunt Curata Beneficia, renunt perpetuos instituere Vicarios cum congruente ab Episcopo adsignata portione, prout decrevit Syn. Trident. *Sess. VII. Ref. cap. 7.* et pro Parochiis, Præbendis, et Dignitatibus adnexis constituit Jo. Card. Legatus in Conc. Ilerdensi in *Compil. Tarracon. Lib. III. Tit. IV. cap. 1.* tunc enim Episcopi munus erit, Curatum Beneficium in pristinam restituere libertatem, prout etiam sanxit ead. Synod. Trident. *Sess. XXV. Ref. cap. 16.* (*)

(**) XVI. Ut divisio rata sit ad eam conficiendam vocandi sunt Beneficiarius, et Patronus. Consensus etiam exquirendus est ab Ecclesia, vel ejus Syndico Ecclesiæ nomine, et à Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, quamvis ad ipsum non spectet Beneficium, quod si injuste dissentiant, divisio tamen perfici poterit: *Trid. laud. Sess. XXI. Ref. cap. 4.* Beneficia separari nequeunt nisi unaquæque dissecatarum pars proveatus habeat, eosque certos ad congruam Clerici alimoniam sufficientes: Syn. Vallis-olet. *Cap. IX. et Cap. 28. de Præbendis.* (*)

(**) XVII. Ad Episcopos spectat Beneficiorum divisionem, quum vera intercesserit causa peragere: Trident. *indic. Cap. 4.* Majorum verò Beneficiorum portiones jure optimo Romani Pontificis judicio reservatæ sunt: *argum. Cap. 1. Ne Sede vacante &c.* Qua de re diuturnis extinguendis contentionibus Pius V. Barbastrensem Ecclesiam in Episcopalem erexit, et ab Oscensi cujus antea fuerat Archipresbyteratus segregavit: Cælonensis etiam ab Urgellensi, Santanderensis à Burgensi, Abbatia S. Illephonsi à Segoviensi, et Capellania Major Regiæ Aulae à Toletana, aliæque sejunctæ sunt, idque Apostolicæ Sedis auctoritate. (*)

CAPUT VIGESSIMUM PRIMUM.

DE COMMENDIS.

I. Primo Commenda antiquitus aliud non erat, quam Custodia, seu Administratio vacantis Ecclesiæ quoad titulum nancisceratur. S. Ambrosius Ep. 4. *Commendo tibi fili, Ecclesiam, quæ est ad forum Corneli, . . . donec ei ordinetur Episcopus.* (**) Sed præcipua Commendarum semina invenimus in Syn. Rhegiensi an. 439. *Can. V.* in quo sancitum est, ne quis ad eam Ecclesiam, quæ Episcopum perdidisset, nisi vicinæ Ecclesiæ Episcopus exsequiarum tempore accederet, qui tamen statim Ecclesiæ ipsius curam districtissime gereret, ne quid ante ordinationem discordantium in novitatibus Clericorum subversioni liceret. Vides hic originem, et causam Commendarum, ac pristina Commendatariorum

jura descripta. Hujus Canonis vestigiis inhærens Synodus Valentina an. 546. *Can. II.* id ipsum secundum Rhegiensis Synodi Constituta decrevit. Quin et *Can. IV.* Episcopum vicinam, cui Ecclesiæ Pastore viduata cura commissæ erat *Commendatorem* adpellat. (*) Tum Pelagius I. et Gregorius M. Commendatarios constituerunt Ecclesiarum varantium Catanensis, Panormitanæ, Aprutianæ, et Capuanæ Episcopos Messanensem, Beneventanum, Firmantum, et Nolanum: *Can. XVI. XVII. XVIII. XIX. Distinct. 61.*

II. Non modo Episcopatus, verum et Parochiæ, ac Monasteria jam inde ab sæculo VI. in commendam dari consueverunt. Conc. Aurelian. III. an. 540. *Can. XVIII.* de iis loquitur Clericis, qui *Monasteria, Dioceses, vel Basilicas in quibuscunque locis positas, sive in territoriis, sive in ipsis Civitatibus suscipiunt ordinantur.* Tum Gregorius M. Epistolis ad Joannem, et Marinianum Ravennates Episcopos, graviter de Clericis quibusdam conqueritur, quod monasteria quædam occasione quasi regiminis veluti in proprietate possiderent. Igitur tunc temporis Commendatæ non nisi necessaria, et modicum laborum præmiam acciperentus erat, reliquis fructibus Antisti eligendo servandis: Græg. M. *Epist. Lib. IV. ep. 35. (**)* Verum alia quoque fuerat institutionis Commendarum causa, inopia scilicet Ecclesiarum; quæ enim sola uni Presbytero alimonie tribuendæ non suffecerat, viciniore commendabatur Presbytero. Hujus autem generis Commenda cujus meminit Syn. Emerit. *Can. XIX.* Ecclesiæ durante paupertate perdurabat. (*)

III. Eadem pæne ætate Gotthies, et Langobardis, atque inde Saracenis, aliisque exteris gentibus Italiam vastantibus, sæpe contingebat, ut Episcopi e suis Sedibus ejicerentur; quibus R. Pontifices, vel alias Cathedrales Ecclesias vacantes, vel etiam Abbatis in perpetuam dabant Commendam, ut inde viverent, ac simul potestatem exercebant Episcopalem. S. Greg. M. *Epist. Lib. II. ep. 13.* Agnellum Fundorum Episcopum, urbe ab hostibus vastata, constituit Tarracensis Ecclesiæ Episcopum Cardinalem: *Ita ut, ait, Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, nec curam, gubernationemque ejus prætereas.* Vides hic duplicem Ecclesiam aut Episcopo commissam, alteram in Commendam, alteram verò in Titulum. Porro Tituli, et Commendæ vocabula explicatius distinguit Leo VI. (**), vel alius sub nomine Leonis (*) in *Can. III. Caus. 21. Q. I.* Habes igitur commendatum usum satis antiquum, haud improbandum, imò et valde utilem; quum Episcopatus, Parochiæ, Monasteria Episcopis commendarentur, aliisque sacris personis, eoque ordine insignitis, quem beneficium requirebat.

IV. Veruntamen IX. sæculo perversus usus invaluit, ut beneficia, ac præsertim monasteria laicis etiam, ac sæpe militibus profunderentur. Hujusmodi abusus in Gallis potissimum Regum Francorum ævo grassata est: Thomass. *P. III. Lib. II. cap. 43. et 44.* Rom. autem Pontificum opera, atque etiam Episcoporum in Synodis per eam tempore habitis laicales Commendæ prorsus abolitæ sunt; (**), præcipue verò in Synod. Cojac. an. 1050. *Cap. III.* et ab Alphonso Nostro *Leg. III. Tit. XVI. Part. I.* (*) quæ in re etiam evitavit Hugonis Capeti pietas, de quo in *Fragn. Hist. Aquit. apud Duchesnum* Tom. IV. pag. 80. *Ecclesiis, Monasteriisque jus electionis, et redditus restituisse, tum et a Proceribus restitui curasse; quamobrem Ecclesiæ S. Amator adpellatus fuit.* Adhuc tamen consueverunt Episcopi, vel de facto, vel R. Pontificis accedente consensu, plures sibi commendatas retinere Ecclesias, vel Monasteria: at verò hanc purioris Ecclesiasticæ discipline remissionem, quæ idemdem sensim irrepbat, nimirumque brevi inuales-

cebat, plures R. Pontifices evellere conati sunt, ac præsertim Clemens V. *Extrav. Inter. Comm. de Præbendis.* Porro nova eademque gravis exorta est causa, cur Commendæ non permittendæ modo, verum et probandæ viderentur: scilicet Terræ sancta iterum ab infidelibus occupata, opportunum visum est, Episcopis inde ejectis, alios in Italia, alibi que Episcopatus, è quibus sustentarentur, commendare; quæ causa quidem urgente res improbanda non erat; licet id nec diutius perduravit.

V. Porro alia deinceps satis speciosa Commendas elargiendi causa excogitata est: reformandi scilicet monasticam disciplinam in pluribus æque Monachorum, ac Canonicorum Regularium monasteriis dilapsam. Revera per ea tempora Monachi, Canoniceque monasticæ vitæque communis oblii laicorum more vivebant, quin et laicis gravi erant offensione. Abbatibus, et Præpositis Comitum potius, et Baronum vitam agentes, bona monasterii dilapidabant, pauperumque patrimonium ad luxum fovendum, familiaresque ditandos profundebant. Haec nacti occasionem Cardinales, alijque Prælati monasteria illa sibi commendanda postulaverunt ad eorundem reformationem, et instaurationem. At quid? in his in commendam, Regibus ipsis, adsentientibus, elargitis, vel Dei cultus restitutus, vel peregrinis hospitia aperta, vel pauperum egestati provisum? vix, aut nè vix quidem id quod eorum, quibus id exsequendi munus demandatum erat, vitio tribuas. Profecto et monasteriorum ædificia in ruinam prona, disciplina superioris absentia quam laxissima, cellule vel raro habitata, vel habitatore destituta, quam evidenter significabant reformationis studium pulcherrimum fuisse prætextum, quò bonis monasteriorum pro lubito uti, fruique possent. Hæc, aliisque hujusmodi mala ex Commendis fluential recenset Clemens V. in modo laudata Constitutione, quæ omnes, et quascunque, etiam Cardinalibus, factas commendas revocavit. Porro neque hac Constitutione tanto illi malo mederi potuit; quinimmo vigente postea schismate Avenionensi tam altas radices egit, ut nec Synodorum Decretis, nec Apostolicis Constitutionibus, nec Concordatis R. Pontifices inter, Regesque initis evelli potuerit.

(**) VI. Sane quum idem Clemens V. in Concilio Viennensi Templariorum Ordinem extingui decrevisset, ac duobus Regni Aragonum Archiepiscopis Valentino, et Tarracensis injunxisset, quod redditus, quos iidem Fratres in præfato Regno obtinebant, sub se in Commendam susciperent, donec tui tradenda essent ipse nuntiaret, ut refert Josephus Blanc in *Archiepiscopologio Tarrac.* apud Aguirre *Tom. IV. pag. 233.* hinc factum est, ut Commendarum usus medium non extingueretur, sed altiores egerit radices. Id duntaxat in tanta abusionum præpotentia decernere potuerunt Hispaniarum Patres, ut secundum Viennensis, et Lugdunensis Concilii Decreta, laici, qui Ecclesias sub specioso Commendarum titulo possidebant, restituerent. Ita constitutum est in Syn. Valent. an. 1388. *Cap. III.* et Gerund. an. 1402. in *Compil. Tarracoh. Constit. Superfl. ex Lib. III. Tit. de Rebus Eccles. cap. 2.* Reges etiam caveri voluerunt, ne laici Episcopatum, et Monasteriorum Commendas susciperent, quin et ejusmodi concessiones irritas declaravit Alphonsus XI. an. 1386. Joannes I. an. 1390. et Henricus II. an. 1411. *Lég. VI. et VII. Tit. VI. Lib. I. Novæ Recop.* At Commendarum Ecclesiasticarum usus sæculo XVI. in eunte latius quàm credibile est sese protendit; vix enim erat Episcopus, qui uno contentus esset Episcopatu. (*)

VII. Tandem Synodus Tridentina *Sess. XXV. de Regularibus cap. 21.* R. Pontificum pietati, ac prudentiæ commisit, ut monasteriis jam commendatis, quæ quos conventus habent, Regulares Personæ ejusdem Ordinis expresse professæ, et

quæ gregi præire, et præesse possint, præficiantur. Quæ vero in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatæ virtutis, et sanctitatis conferantur. Quoad ea vero Monasteria, quæ Capita sunt, ac Primates Ordinum, eadem Tridentina Syn. decrevit, ut teneantur illi, qui in præsentem eam in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum propriam sollemniter profiteri, aut iis cedere: alias commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur. Saluberrima hæc Tridentina sanctio haud omni ex parte effectum habuit. (**). Apud Cantabros enim in Hispania laici Commendatas adhuc habent Ecclesias, seu ut ipsi vocant, Monasteria: *Leg. II. Tit. XXXII. Fori de Vizcaya.* Tum et in Equestri Ordine S. Joannis Hierosolymitani, ac in quatuor Militaribus S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, et Montesæ, et aliæ, quorum inter Fratres plures tributæ sunt Commendæ reddituum Ecclesiasticorum; verum hi conjugati licet, merè laici non sunt, sed potius Regulares, quum in plerisque Regularium privilegiis fruuntur; tametsi in id Commendarum genus acriter invehatur Jo. Mariana Hist. Hisp. *Lib. XXVI. cap. 5. (*)*

VIII. Et quidem jure hodierno Monasteria (iis exceptis, quæ Capita sunt Ordinum, ut in Regno Neap. Montis Casini, et Montis Virginis) quæ suos habent conventus, olim commendata, adhuc Clericis sæcularibus in commendam traduntur perpetuam, onere duntaxat adjuncto congruam pro mensa conventuali portionem segregandi monachis adtribuendam. Quæ verò monachis destituta sunt, uti per plura in Regno Neap. præsertim Benedictinorum, Clericis sæcularibus in commendam perpetuam à R. Pontificibus conceduntur, cum liberâ proventuum administratione, haud secus ac essent veri beneficiarii, et titulæres.

IX. Commendatarii igitur, tanquam veri beneficiarii 1. Liberam habent proventuum administrationem. 2. Dant Dimissorias ad Ordines æque, ac ordinarii Monasteriorum Superiores. 3. Ad beneficia præsentant, tum et conferunt, atque eligunt. 4. In Gallia ad sacros ordines intra annum suscipiendos coguntur; adhuc et in Italia, alibi que, ubi commendis animarum cura vel monachorum, vel sæcularium adnexa sit, et ad sacros ordines suscipiendos, et ad residentiam adiguntur. 5. Commendâ non secus ac verum beneficium non potest cum alio beneficio permutari. 6. Commendis æque ac Beneficiis Pensiones imponuntur. 7. Commendatarius Monasterii perpetuus, licet Regulam Ordinis, quæ in eo monasterio viget, non profiteatur, habet tamen in monachos eandem potestatem, quam haberet, si ex verò titulo beneficium possideret. 8. Demum in Regno Neap. sicuti Beneficia, ita et Commendæ non nisi Regnicolis conferendæ; (**). id quod in Hispania etiam obtinere videtur ex *Leg. XIV. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* ac præsertim post novissimum Concordatum an. 1753. (*) Igitur inter Commendam, et Titulum, si ve Beneficium effectu nihil pene interest.

X. Haud tamen inde inferas Beneficia Regularia Commendata omnem primigeniam naturam exuere. Adhuc enim hodierno jure Commendæ non nisi à R. Pontifice et quidem *dispensative*, ut ajunt, conceduntur, et provisio per commendam dicitur *dispensatoria*, ex *extraordinaria*. Unde licet Episcopi beneficia etiam reservata aliquando conferant, beneficia tamen commendata nunquam conferre possunt. Quum enim primigenia eorundem natura inspecta Regularia sint, profecto nova quædam Pontificia dispensatio, ut Clerico sæculari iterum commendari possint, requiritur, licet alioquin jam inde pluribus abhinc sæculis Clericis sæcularibus in commendam perpetuam conferri consueverint. Plures quidem Canones præscribunt Beneficia Regularia non nisi Regularibus, et Sæcularia Sæcularibus conferenda; verum huic Canonum læsioni opportune medetur

dispensatio Pontificia. Demum beneficia monasterio commendato adnexa perpetua non sunt, sed ad nutum mobilia ob insitam regularibus beneficiis mobilem naturam. Ejusmodi sunt beneficia, quæ ab Abbate commendatario Præceptorie generalis Neapolitanæ S. Antonii Viennensis hoc in Regno passim conferuntur Clericis etiam sæcularibus, non in titulum perpetuum, sed administranda ad beneplacitum ipsiusmet Abbatis conferentis, exceptis tamen curatis, et electivis.

XI. Hæc Abbatia Jo. Baptistæ Victorio primum à Paulo V. commendata fuit; dein et ab Urbano VIII. Card. Magalotto, ablato etiam Monasterio Viennensi omni jure in eandem: cui tamen pro sustentando Procuratore generali in Curia R. Præceptorie S. Antonii civitatis Sarnensis assignata est. Tum qui secuti sunt R. Pontifices eam deinceps Neap. Archiepiscopis commendarunt cum potestate ordinaria conferendi omnia beneficia ubilibet intra regnum consistentia sub titulo S. Antonii, cum libera, et simplicia, tum de jurepatronatus, et curata: Clemens VII. *Cons. II. §. 19.* et Sac. Congreg. apud Rigantium *Reg. IV. §. 4. n. 20. et 57.*

CAPUT VIGESSIMUM SECUNDUM.

DE PENSIONIBUS.

I. Pensionis vocabulum civili Romanorum jure præstationem potissimum significat, solutionemve certis temporibus, et portionibus divisam: *Leg. III. §. 13. Dig. de Statu lib.* ibidemque primam, sequentem, et tertiam pensionem observare licet. At jure Canonico *Perceptionem* denotat portionis fructuum alieni beneficii, legitima auctoritate, legitimaque de causa alicui Clerico concessa.

II. Antiquissima Pensionum exempla habemus in Concil. Chalced. ubi Act. X. Domino primum Episcopo Antiocheno, dein in Synodo deposito, certi sumtus ex redditibus Ecclesiæ Antiochenæ à Maximo in ejus locum ordinato alimonie causa quotannis solvendi assignantur. Tum Act. XII. Bassiano, et Stephano de Sede Ephesina contententibus exclusis, ducenti solidi aurei quotannis ex Episcopatu pendendi constituuntur. Denique Act. XIV. Athanasius Ecclesiæ Perrhenorum restituitur, rejecto Sabiniano, qui eandem invaserat; at simul decernitur, ut Sabinianus *pascatur secundum facultatem S. Perrhenorum Ecclesiæ.*

III. Profecto in his, aliisque veteribus Pensionum exemplis, quorum haud pauca apud S. Gregorium M. aliosque VII. et VIII. sæculi Scriptores occurrunt, jura observare: 1. Pensiones fuisse assignatas alendæ pacis, et concordie causa, vel ut ejectus de Ecclesia haberet, unde vitam transigeret.

2. Pensionem pro eo, ac necessaria Pensionarii alimenta, et Ecclesiæ, cui imponebatur, facultates ferebant, statui consuevisse.

3. Pensioni aestimandæ necessario fuisse requisitam Papæ, vel Synodi auctoritatem, et ad sensum. Pensionum usus hisce consèptis limitibus haud improbandus.

IV. Jam verò secutis temporibus, et præsertim quum schisma Avenionense vigeret, res à pristino statu mirum quantum degeneravit. Nam 1. inde Episcopi occasionem nacti sunt unius Præbendæ titulum duobus simul largiendi, qui illam inter se partirentur: at Beneficiorum sectio legibus Ecclesiasticis nunquam non vetita: (**). Syn. Vallis-olet. *Cap. IX. (*)*

2. Sæpe ea fructuum portio Beneficio subtracta, et Pensionario assignata est, ut titulato vix reliquum esset, unde moderate, et frugaliter viveret, quum eodem tempore, qui otio torpebant, divitiis adfluere.

3. Quæ de re plerumque parvi pretii homines ad regendas Ecclesias adsum-